

.xxxiii. ITEM ALIA DE RESURRECTIONE DOMINI .

UIDete fratres karissimi et considerate quam carissimos nos dominus habere dignatus est . et quomodo nos amare disposuit . Quia pretio tam carissimo nos redemit . Non enim angelo . Non archangelo . Non patriarchis . Nec prophetis . Non auro . Non argento . Non alia speciali materia . sed de suo sancto sanguine nos redimere dignatus est . Quapropter karissimi pensate . quanta propter peccata nostra sustinere debemus . si dei filius tanta pro nobis cruciamenta qui sine peccato est pertulit . Qui peccatum non fecit . nec inuentus est dolus in ore eius . Qui cum malediceretur . non maledicebat . Cum pateretur . non cominabatur . sed percutienti se mitissime dicebat . si male locutus sum testimonium perhibe de malo . Sin autem bene . quid me cedis? Et iterum . Pater ignosce illis . nesciunt enim quid faciunt . Et tradebat semetipsum iudicanti se iniuste . tamquam agnum innocentem . et dum haec omnia pro nobis pateretur . ad extremum in cruce suspensus lancea perforatus est . et exiuit de latere eius sanguis et aqua . Vnde iohannes apostolus dixit .  
/80r/ Tres sunt qui testimonium dant . sanguis . aqua . et spiritus . Quid per sanguinem . Nisi redemptionem nostram . quid per aquam . Nisi baptismi sacramentum . Quid per spiritum . Nisi sanctificationem nostram significat? Quia ex his perficimur filii dei . Deinde post haec mortuus et sepultus est pro nobis . et dum illud sacro<sup>i</sup> corpus in sepulchro iacuit . anima eius descendit ad infernum . Inde eripuit primum hominem adam . qui per quinque milia ducen

tos uiginti et octo annos . Propter suas culpas in infernum detinebatur . Vnde dominus per osee prophetam dicit .  
O mors ero mors tua . morsus tuus ero inferne .  
Ideo dominus iesus christus . morsus inferni fuit . quia partem inde abstulit . et partem ibi reliquit . Illos iustos detulit . et in suum regnum secum collocauit . Et illos impios et sacrilegos . Id est faraonem<sup>ii</sup> cum sociis suis . dathan . Et habiron . Sodomeꝝ . Et gomorrae . Sceleratores . mortuosque in peccatis hereticos . in inferno<sup>iii</sup> reliquit . Ita faciet in die iudicii . se parabit minos<sup>iv</sup> de medio iustorum . et mittet eos in supplicium aeternum . Iustis autem reddet mercedem laborum suorum . in conspectibus angelorum .  
Vnde quidam tractator ait . Certum est fratres karissimi . quia si assidue cogitemus . quam magna sunt beneficia domini nostri . quæ nobis . non precedentibus meritis nostris ab eo donata sunt . peccata nobis numquam dominari permittemus<sup>v</sup> . Et si forte subrepserint . cito per poenitentiam emendari<sup>vi</sup> curabimus . Quis enim /80v/ mente concipere potest . Non dicam uerbis possit exponere . Quanta sunt circa nos beneficia dei nostri . Fecit enim nos primum cum non essemus . reparauit nos postea cum perissemus<sup>vii</sup> . Nasci enim propter nos fratres karissimi . per humilitatem in mundo dignatus est dominus iesus et mortem pro nobis uoluntarię suscepit . ac pretioso nos sanguine liberauit . Ad inferna descendit . et ab aeternę mortis faucibus Nos eripuit . et diabolum cum suis satellitibus . in infernum deorsum suppressit . Et non solum nos redemit ; sed etiam caelorum nobis aeterna premia repromisit . Haec ergo omnia fratres karissimi . pio et benigno animo cogitemus . et quan

tum possumus cum dei adiutorio . beneficiis<sup>viii</sup> suis uicem  
rependere festinemus . Non reddamus mala pro bonis .  
sed in quantum ualeamus . uoluntati ipsius obtempe-  
rare . fideliter studeamus . Offeramus ergo sancta  
munera christo redemptori nostro . primum tenen-  
tes in illo fidem rectam . Spem certam . Caritatem perfec-  
tam . Et post haec humilitatem . benignitatem . man-  
suetudinem . continentiam . Abstinenciam . Patientiam .  
Temperanciam . mentesque humiles . et laudabiles mo-  
res . Haec sunt dona et munera . deo nostro grata et bene  
placita . quę illi quidem offeruntur ; sed<sup>ix</sup> offerentibus  
prosunt . Rogo ergo uos fratres . et per illum . cuius pretioso sangui-  
ne redempti estis ammoneo . ut totis uiribus hęc omnia  
in animo teneatis . et de animę uestre salute . attentius  
cogitetis . Et nolite obliuisci preceptum  
christi . per quod nobis caelorum regna  
promittit dicens . Estote misericordes .  
/81r/ sicut et pater uester misericors est . Et iterum . Beati mi-  
sericordes . quoniam ipsi misericordiam consequentur . Et iterum .  
Beati mundo corde . quoniam ipsi deum uidebunt . Si igitur  
aelymosinas facimus . si poenitentiam agimus . Si esuri-  
entes pascimus . Si sitientes potamus . Si nudos secundum  
uires nostras uestimus . Si peregrinos accipimus . Et si  
haec omnia diligenter agimus . securi ante tribunal  
christi . in die iudicii ueniemus . et tunc in memoria ęterna  
iusti erimus . et ad conuiuium caeleste . cum abraham  
et isaac et iacob ab illo prouocabimur . qui pro terrenis  
caelestia . Pro temporalibus sempiterna . Pro modicis mag-  
na . Pro mortalitate æternitatem . Nobis semper prestare  
solet . Placere ergo<sup>x</sup> ei studeamus . a quo nobis cunc-  
ta bona procedunt . quia nichil a nobis exigit nec petit .

Nisi quod proficit nobis ad salutem animę nostrę . ut cum illo  
regnemus in secula seculorum Amen .

- <sup>i</sup> sacro] *corr. to sacrum by a later hand*
- <sup>ii</sup> faraonem] *altered to fara`h´onem by a later hand*
- <sup>iii</sup> inferno] *corr. from infernum*
- <sup>iv</sup> minos] *corr. to iniquos by a later hand in the right margin*
- <sup>v</sup> permittemus] *altered to permitteiomus (?) by a later hand*
- <sup>vi</sup> emendari] *corr. from emundari*
- <sup>vii</sup> perissemus] *corr. from periissemus*
- <sup>viii</sup> beneficiis] *corr. from beneficia*
- <sup>ix</sup> sed] *altered to ut by a later hand*
- <sup>x</sup> ergo] *this word was written twice, and the second one was erased*